


Zu der

# öffentlichen Redeübung

welche

Freitag den 30. September 1836 Nachmittags um 2½ Uhr

in dem Hörsaale des Gymnasium zu Stettin

veranstaltet werden soll

ladet

## die Beschützer Gönner und Freunde

diefer Schulanstalt

ehrerbietigst und ergebenst ein

Karl Friedrich Wilhelm Hasselbach,


Doctor der Theologie und Philosophie, Director und erster Professor des vereinigten Königl. und Stadt-Gymnasium, Director des mit demselben verbundenen Seminarium für gelehrte Schulen, Mitglied der Lateinischen Gesellschaft zu Jena und der Königl. Gesellschaft für Nordische Alterthumskunde zu Copenhagen.



Inhalt:

C. Lucilii Satirarum quae ex libro tertio supersunt
von dem Collaborator Varges
und
Nachrichten über das Schuljahr von Michaelis 18³⁵/₃₆.

Stettin,
gedruckt bei H. G. Effenbart's Erbinn,
große Wollweberstraße No. 554.





# C. LUCILII SATIRARUM
## QUAE EX LIBRO TERTIO SUPERSUNT.

Commentator Cruquii ad initium Sat. Hor. I, 5 memoriae haec prodidit: »Lucilius libro tertio descripsit iter suum quod Roma fecit Capuam et inde ad fretum usque Siciliense. Hunc imitatus Horatius iter suum ab urbe Roma descripsit Brundisium usque, commemorans ejus itineris incommoda, simul et facetam contentionem Sarmenti scurrae et Messii Cicerri.« In quibus ultima verba sic efferuntur, ut opinari quis possit utramque rem cadere etiam in satiram Lucilii. Quod sane ita esse arbitror. Nam quum alias hoc genus scriptionis in narrandis vel commodis vel incommodis multum versari soleat, tum vestigia spectaculi cujusdam nec unius tantum, illi quod Horatius perstrinxit similis, sed plurium in hujus libri reliquiis etiamsi obscurata, non tamen obtrita et deleta sunt. Neque alia commoda non commemorantur. De incommodis autem quae Lucilio evenerunt etiam apertior mentio infertur atque uberior.

Quae de hoc Lucilii libro restant, ea jam olim collecta et disposita a Francisco Dousa nunc in his paginis et aucta exhibentur et in alium ordinem redacta. Eorum pleraque in hunc librum certis testimoniis conferenda erant, quaedam adjecta sunt per conjecturam. Et quae Dousa addidit, in dubium revocari praeter pauca non possunt: ita in iis planum manifestumque est quae res tractetur. Me autem in isto adjiciendi negotio fateor suspiciones secutum esse leves interdum ac lubricas. Nec tamen id omnino improbari poterit, quoniam, nisi adhibeatur quaedam conjectandi audentia, vix quidquam ex his reliquiis ita percipiatur et cognoscatur, ut perlustrare eas atque perscrutari operae

pretium sit. Qua ratione ductus sex fragmenta huc transtuli ex iis quae apud Dousam incerta vocantur. Verum etiam illud confiteor, summam audentiae illi adjunctam esse oportere cautionem ac diligentiam, ut ne arcessita aut artificiosa sit explicatio neve interpres, ut ita dicam contra Horatium, sibi res subjungat, quum se necesse sit esse subjunctum rebus. Ita factum est, ut non omnia aequabiliter persequerer, sed nonnulla leviter tangerem, alia quemadmodum intelligenda essent loco dumtaxat quem a me acceptum tenent significare vellem, alia in fine posita prorsus intacta relinquerem. Nihilo minus in eis quae illustrandi causa disputata sunt vereor, ne iterum ac saepius a vero aberraverim, voloque ita omnia ista accipi, non quasi ex oraculo Apollinis Pythii edita (quanquam quis credat me cum eo velle comparari?) sed ut ab homunculo dicta uno e multis, sicut Cicero ait, qui se falli posse non nescius erroris tamen metu deterreri non potuerit, quin vel in tenebris dispicere et progredi quadamtenus auderet.

De via, quam Lucilius emensus est cujusque terminum auctore scholiaste Horatii compertum habemus, admodum pauca sunt quae certa sciantur. Nam quae adjecto vel non neglecto a librariis libri numero in veterum scriptis asservata sunt, nihil ea patefaciunt nisi haec: primo Lucilium iter fecisse per Latium, deinde in portu aliquo Campaniae navem conscendisse in eaque Salernum vectum esse ac postea ad Palinurum promontorium: unum accedit fragmentum, in quo se ad fretum Siculum si non pervenisse, certe perventurum monstrat, sed terrane per Lucanos Bruttiosque an mari (licet hoc probabilius quam illud) incertum est. Additis vero iis quae in conjectura posita sunt tantum proficimus, ut de omni cursu quem Lucilius petiit brevi spatio excepto opinionem habeamus non spernendam.

De consilio itineris mirum non videbitur, si prorsus nihil constare affirmo. Videamus tamen quid de eo statui possit. Dixit enim commentator ille, Lucilium usque ad fretum Siculum venisse. Quibus in verbis quum nulla urbs memoretur, ad quam Lucilius ultimam tetenderit, nullus homo cujus videndi causa iter ingressus sit: recte forsitan dixerit aliquis istum negligenter tradidisse nihilque hanc praetermissionem curandam esse: at verisimiliora qui consectatur, is ut opinor causam profectionis censebit eam fuisse, quam praeter Ennium ap. Gell. XIX, 10. p. 217 ed. Hess. et Plautum Merc. III, 4, 1 et Horatium Sat. II, 7, 28. Epist. I, 8, 12. Lucretius III, 1073 ita attingat: »Exit saepe foras magnis ex aedibus ille, esse domi quem pertaesum est, subitoque revertit:

quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.« Ad hoc taedium vitae urbanae levandum vel ad animum curis molestiisque liberandum Romani frequenter susceperunt itinera et certo quidem fine proposito nullo. Alii otium et otii fructum quaerentes vel Tarentum se abdebant vel latebant Neapoli inclusi. Senec. ep. 68. cf. Hor. Sat. I, 6, 105. Odofr. Mueller. Etrusc. I, p. 180. cf. Ovid. Met. XV, 711. Ac Neapolim Lucilius quoque sub vitae finem se recepit, qua in urbe mortuus esse fertur publiceque elatus. Illud vero si recte sumus augurati (ne arbitremur Lucilium nihil aliud spectasse quam quod Pythagoram, Democritum aliosque olim magnos viros egisse traditum est, ut videret multorum hominum urbes moresque cognosceret, res complures prohibent, ita saltem ut alteram sententiam a vero abesse propius existimem) ea ergo probata, apta sunt quae hic legantur verba Senecae de tranq. an. II, 11, quibus non solum aequales suos sed, puto, etiam majores hoc modo castigat: »Peregrinationes suscipiuntur vagae et littora pererrantur, et modo mari se modo terra experitur semper praesentibus infesta levitas. Nunc Campaniam petamus. Jam delicata fastidio sunt: inculta videantur: Bruttios et Lucanos saltus persequamur. Aliquid tamen inter deserta amoeni requiratur, in quo luxuriosi animi longo locorum horrentium squalore releventur.« Tum parvo intervallo: »Jam flectamus cursum ad urbem, nimis diu a plausu et fragore aures vacaverunt: juvat jam et humano sanguine frui. Aliud ex alio iter suscipitur et spectacula spectaculis mutantur.«

Notandum est denique, quod in schol. Porph. ad Hor. Sat. I, 10, 53 litteris mandatum est, a Lucilio in tertio libro superiorum temporum poetas vituperatos versusque eorum emendatos esse: quam in rem inquirendi ex iis quae reliqua habemus copia nulla data est.

---

1. Vet. Interpp., quos e cod. Veron. vulgavit Angelus Maius, in Aen. II, 81.

*Fandum atque auditum iter ab imo fl....*

Iter narrandum sibi jamque pluribus (an uni alicui amico? v. fr. 40) auditu cognitum se iniisse dicit Lucilius ab ore Tiberis, ubi Ostia sita fuit in sinistra ripa. Quo dubium est pedibus venerit via breviore an navi advectus. Hinc vero secundum mare progressus aut per urbes quae sunt Laurentum et Ardea et Antium aut praeter eas contendit ad fines Setinorum.

2. Comment. Cruq. in Hor. Sat. I, 6, 106: Mantica ex Luciliano illo sumptum est:

*) *Mantica canteri costas gravitate premebat.*

Caballo ἐργατίνῃ usus est, sicut Cato censorius, quem Seneca ep. 87 scribit canterio vectum et hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret. Hoc migrandi genus idem laudibus effert l. m. ut simplex corruptisque suae aetatis moribus alienum, quod etiam ab Horatio ostenditur l. d.: »Nunc mihi curto ire licet mulo vel si libet usque Tarentum, mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos,« et intelligitur e schol. Acr.: »Pauperes quum insident jumentis post se sarcinas habent.« Eodem modo Lucilium se itineri commisisse eo facilius credi potest, quod quum temporum quibus fuit propinquitate tum quadam animi similitudine Catone conjunctus est. Neque tamen solus peragrasse Italiam, sed praeter puerum (v. Casanb. in Pers. V, 140) videtur viae socium habuisse aliquem amicum. v. Fr. 5. 14. 35.

3. Nonius VIII, 46. p. 489 Merc.

*Praeterea hoc iter omne labosum est atque lutosum.*

Strabo V, 3: Ἅπασα (ἡ Λατίνη) ἐστὶν εὐδαίμων, inquit, καὶ παμφόρος πλὴν ὀλίγων χωρίων τῶν κατὰ τὴν παραλίαν, ὅσα ἑλώδη καὶ νοσερὰ οἷα τὰ τῶν Ἀρδεατῶν καὶ μεταξὺ Ἀντίου καὶ Λαουϊνίου μέχρι Πωμεντίου καί τινων τῆς Σητήνης χωρίων. Cf. Senec. ep. 105 et Mart. IV, 60.

4. Gellius XVI, 9: *Susque deque fero* aut *susque deque habeo* verbum est ex hominum doctorum sermonibus, in poematis quoque et in epistolis veterum scriptum et plurifariam. — Significat *susque deque ferre* animo aequo esse et quod accidit non magni pendere atque interdum negligere et contemnere, et propemodum id valet quod dicitur graece ἀδιαφορεῖν. Lucilius in tertio:

*Verum haec ludus ibi, susque omnia deque fuerunt:*
*Susque [et] deque fuere — inquam — omnia, ludu' jocusque.*
*Illud opus durum, ut Setinum accessimu' finem:*
Αἰπύλοφοι *montes, Aetnae omnes, asperi Athones.*

Setia a Martiale IV, 64, 33 et XIII, 112 pendula vocatur, quia posita in montium jugo quod juxta Pomptinos campos ad Asturam usque flumen protenditur ab extrema ejus ora tanquam ex crepidine quadam in subjectam planitiem prospicit. Cluver. Ital. ant. III, 8. p. 1022. E patentis igitur campi aequore in locum praeruptum ascendere superasque evadere ad auras hoc opus, hic labor est. Virg. Aen. VI, 129.

5. Nonius IV, 428. p. 396: *Sumere* etiam significat eligere. Lucilius III:

*et spatium curando corpore honestum*
*Sumemus.*

Consilio aut exspectatione quietis ac refectionis erigit suscitatque se et comitem de via languentes. »In littore sicco corpora curamus, fessos sopor irrigat artus.« Virg. Aen. III, 511. cf. VIII, 607.

6. Charisius I, p. 55.

*student hi ligna videre.*

Pueri ligna et sarmenta conquirunt quibus ignem subjiciant. Quae tamen difficile reperiri videntur: unde suspicari licet poetam, nisi sub divo alicubi pernoctare coactus est, diversorio haud magnifico acceptum esse. Cf. Cic. Att. V, 16. Accedit quod Lucilius haud dubie sumptu privato peregrinatus est.

7. Diomed. I, p. 372. Prisc. p. 888 P. X, 4, I, p. 488 Kr.

*ergo*
*E somno pueros quum mane expergitu' clamo.*

8. Non. III, 152, p. 216.

*Ostrea nulla fuit, non purpura, nulla peloris.*

9. Charis. I, p. 55.

*Asparagi nulli.*

Ostreis palma mensarum divitum attribuebatur. v. Lucil. fr. XIII, 3. Nec minoris pretii purpurae et pelorides. Sed haec cenula ab usitato apparatu tam longe recedit, ut ne asparagis quidem mensa instructa sit. Auctor Plinius N. H. XIX, 42 et XX, 42 asparagos utilissimum stomacho cibum traditor iisque omnium hortensiorum fuisse lautissimam curam.

10. Priscian. p. 684. P. VI, 3. I. p. 230 Kr.

*Caupona hic tamen una Syra.*

Copa Syrisca in carmine quod Virgilii esse fertur crotalistria est, saltans ante tabernam, quam quia non modo *Graja redimita mitella,* sed *ebria* quoque dicitur recte Scaliger aniculam habuisse videtur. Invitat autem ista viatores transeuntes ad devertendum (v. Wernsd. in v. 5) his maxime verbis: »Huc Calybita veni: fessus jam sudat asellus. Parce illi: Vestae delicium est asinus.«

**11.** Non. II, 800. p. 173. Glossae vet. in Pers. V, 140. Isidor. Origg. XX, 6. I, 35.

*Vertitur oenophoris fundus, sententia nobis.*

Scriptum ex parte exemplo Ennii cujus hoc est hemistichium ap. Virg. Aen. IX, 165: *vertunt crateras ahenos,* q. e. Servio interprete: potantes exhauriunt.

**12.** Non. II, 627. p. 150: *Praecox* est praecoca, quod est immatura. Lucil. III:

*Anicula aspera atque praecox est fuga.*

* * *

**13.** Schol. Porph. et Cruq. ad Hor. Sat. I, 6, 68.

*) *Campana Capua.*

Quoniam in iisdem scholiis supra significatum legimus non solum transiisse Lucilium Capuam sed ibi esse aliquamdiu moratum, gravem hanc capitis Campaniae appellationem non inanis suspicio est hujus libri hujusque fere loci fuisse.

**14.** Non. IV, 232. p. 321. (D. Inc. 78.)

*) *Pulcre invitati (sumus) acceptique benigne.*

Ξείνοις ἐλθόντεσσιν εὐεϱγέται δεῖπν᾽ ἐπαγγέλλοντι πϱῶτον. Pind.

**15.** Serv. in Virg. Eclog. VI, 53: Apud veteres unusquisque eo super quod jacebat *fultus* dicebatur. Lucilius III:

*Et pulvino fultus.*

h. e. effultus lecto triclinari.

**16.** Non. VI, 43. p. 455.

*Malas tollimu' nos atque utimu' rictu.*

De manducantibus recte acceperunt Jan. Dousa in centonibus Lucilianis et vir doctus in Misc. obs. crit. vol. VIII. t. I. p. 19. *Malae* faciei immobiles partes quibus superiores dentes infixi sunt. cf. Isidor. XI, 1, 44.

**17.** Non. I, 76. p. 21: *Cernuus* dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat. Lucilius III:

*Cernuus extemplo plantas convestit honestas.*

» Omnia ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimae teguntur, cetera prope nuda et teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt, nonnunquam voce Graeca crepidulas. « Gell. XIII, 21. Soleas poscit qui est a cena surrecturus.

18. Non. I, 102. p. 25: *Bronci* sunt producto ore et dentibus prominentibus. Lucilius III:

*Broncu' bovis lanius dente adverso eminulo hic est,*
*Rhinoceros velut Aethiopus.*

Hoc sic dictum est quasi bestiarius petitus sit. Non dissimilis eorum ratio quae prior Sarmentus objicit v. 56: *Equi te esse feri similem dico.* Quanquam et δεικτικῶς hoc aliquis elocutus videtur esse et ipsum quod tangitur vitium magis illi est simile quod Sarmento exprobrat Messius v. 58.

19. Non. III, 158. p. 127.

*Non peperit, verum postica parte profudit.*

20. Prisc. p. 880 P. X, 2. I. p. 478 Kr.

*Conturbare animam potis est quicunque adoritur.*

21. Comm. vet. in Juv. III, 158. Donat. in Ter. Phorm. I, 3, 11: Abundare dicitur qui successu prospero affluit. Lucilius III:

*ille alter abundans*
*Cum septem incolumis pinnis redit ac recipit se.*

Duo haec fragmenta quantum video sola ex narratione supersunt quae fuit de certamine gladiatorio. Priorem versum ex ejusmodi sermone sumptum opinor, qualis est illius Pacideiani ap. Cic. Tusc. IV, 21. Nam priusquam congrederentur gladiatores inter se colloquebantur: quam ob rem Horatius *duellum lentum* dixit Epist. II, 2, 98. Ex altero loco cognoscitur qui vicerat fuisse Samnitem. Samnites enim primi sibi praeter alia galeas cristatas induerant, quae speciem magnitudini corporum adderent. Eoque ornatu, inquit Livius IX, 40, Campani ab superbia et odio illius gentis gladiatores armarunt Samnitiumque nomine compellarunt. Utraque res in morem postea venit apud Romanos: unde Varro de L. L. V, 32. p. 144 Sp. sic: » Muri summa *pinnae* ab his quas insigniti (?) milites habere in galeis solent (πτερὰ φοινίκια ἢ μέλανα ὀρθὰ τρία, ὡς πηχυαῖα τὸ μέγεθος. Polyb. VI, 23) et in gladiatoribus Samnites. « Quibus quot quodam tempore aut loco fuerint ipse Lucilius docet. Cf. Juven. VI, 256.

* * *

22. Festus in exc. Pauli p. 91 Lind.: Minorem Delum Puteolos esse dixerunt, quod Delos aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum: cui successit postea Puteolanum, quod municipium Graecum antea Dicaearchia vocitatum est. Unde Lucilius:

*) *Inde Dicaearchum populos Delumque minorem.*

Puteoli a Capua aberant viginti circiter milia passuum: expeditissima igitur unius diei via. *Que* particula explicandi vim habet, ut ap. Hor. II, 1, 37. v. Kritz. in Sallust. Cat. 4, 2. Pari modo *et* positum in fr. 32, 1. Cf. Enn. fragm. p. 42 Hess. et Hor. Epist. II, 1, 243. Ceterum est in hoc versu, quod accedat vel aspiret ad grandem Ennii et Virgilii orationem, a qua Luciliana satira abhorrere solet non minus quam Horatiana. Non dico equidem omissam *ad* praepositionem, ut in Virg. Ecl. I, 65. v. Vechn. Hellen. I, 2, 5. hoc enim incertum est. Verum plenum inest quoddam verborum ac numeri flumen, quale frequens in versibus Virgilii, rarum ut par est apud Horatium. Ex illis apponam aliquot re quoque valde similes: *Grajugenumque domos suspectaque linquimus arva.* Aen. III, 550. *Per Grajum populos mediaeque per Elidis urbem.* VI, 588. *Per medias urbes agitur populosque feroces.* VII, 384. *Laurentisque docet populos urbemque Latini.* VI, 892. in quibus omnibus res eadem bis effertur perinde ut in versu Lucilii: populi enim qui dicuntur unius sunt urbis multitudo. Qua de re minus recte judicavit Columna in Enn. fr. p. 11. Neque Horatius in illa quam de itinere suo composuit satira omnem altioris spiritus impetum, quem res enarrandae facile interdum excitabant, omniaque pondera verborum devitavit. v. Heind. in v. 73. Quo eodem pertinet *urbs Mamurrarum* v. 37. Cf. Serv. in Aen. I, 244.

23. Gell. I, 16. Macrob. Sat. I, 5.

*Ad portum mille a porta est, exinde Salernum.*

Patet, nisi omnia me fallunt, portum et portam illam unius earum esse urbium, quae a Salerno solem occidentem, a Puteolis orientem spectant. Interjectae autem prope littus inter Puteolos et Salernum hae: Neapolis, Herculanum, Pompeji, Stabiae, Surrentum. Harum mediam a poeta conjicio significari, quia emporium fuit cum navali, teste Strabone V, 4, et non ad ipsum Sarni Ostium jacuit sed paulo a mari remotior. Cluver. It. ant. IV, 3. p. 1155. Cujus situs unum testimonium ipse affert Cluverius e Tabula itineraria: sed quando Mannertum video non dubitantem quin Pompeji in ipso littore (antiquo, nam hodiernum longius procedit) positi fuerint, isti accedere moneo alia duo quae sunt ab Ovidio petenda Met. XV, 709 — 11 et a Ptolemaeo cujus locum Cluverius p. 1156 exscripsit. Uterque enumerans loca maritima Pompejos praetermittit.

24. Serv. in Virg. Aen. I, 244.

*) *(Et) promontorium remis superamu' Minervae.*

Ab extremo hoc promontorio, ex quo *alta procelloso speculatur vertice Pallas,* Capreae insula disjuncta trium milium freto. Tac. Ann. IV, 67. In quod ut intravit navis, *vela cadunt, remis insurgitur.* Virg. Aen. III, 207. Id alias propter ventorum mutationes fiebat quae in flectendis promontoriis saepe maximae sentiuntur, alias propter scopulos. Ab eo autem longi angustique illius jugi latere, quod satis praeceps vergit in sinum Paestanum, tres sunt exiguae insulae, quae vocabantur Sirenusae. Strab. I, 2. V, 4.

25. Charisius II. p. 182: Localibus adverbiis gratia dictionis inest multa, si quis ea cautius deligens producat in medium. Longe pro longitudine Lucilius Satirarum III:

*longe tria milia passuum.*

26. Probus in Virg. Georg. III, 146.

*) *Quattuor hinc Silari ad flumen portumque Alburnum.*

Cluverius qui ipse hanc regionem obiit in It. ant. p. 1254: »Portus Alburnus, inquit, haud dubie eodem fuit situ, ubi nunc trajectus est inferior fluminis III circiter millia a mari: quippe hic in laeva amnis ripa veteris sive templi sive castelli ruinae etiamnunc vulgari vocabulo incolis dicuntur Alfurno.« — Illum versum ad hunc librum restituendum esse putavit Dousa, nec ego repugnem. Est tamen quod ambigam: nam Silari ostium a Salerno recta distat circiter vicies mille passus. Quare, nisi forte major numeri pars cum antecedente versu intercidit, difficile erit explorare, a quo loco se ad Silarum venisse Lucilius dixerit.

27. Non. I, 316, p. 63: Grumae sunt loca media, in quae directae quatuor congregantur et conveniunt viae. Est autem gruma mensura quaedam, qua fixa viae ad lineam dirigantur, ut est agrimensorum et talium. Ennius lib. XVIII *gruma dirigere* dixit, *degrumari* vero Lucilius lib. III:

*viamque*

*Vis degrumari, ut castris mensor facit olim.*

*Olim*, quod significatione par est Graeco vocabulo ποτέ, interpretandum hic et fr. 36 *fere ut solet.* v. Serv. in Aen. III, 541. V, 125. VIII, 391. Cf. Hdf. in Hor. Sat. I, 1, 25 et Schmid. in ej. Epist. I, 3, 18. Ex insequenti fragmento intelligitur ad calculum vocasse Lucilium totius quam confecit viae longinquitatem. Id opportuno loco factum mihi videtur esse post ea quae modo praeposui: quare sic explano: si a me vis locorum quae transii intervalla accurate computari viamque ad lineam definiri —

**28.** Idem IV, 85. p. 266: *Commodum* integrum, totum. Lucilius:

*) *bis quina octogena videbis*
*Commoda: item Capua quinquaginta atque ducenta.*

Commodum ad mensuram refertur, ut in illo Horatii versu: *Intervalla vides humane commoda.* Epist. II. 2. 70. Cf. Plaut. Asin. III, 3, 135 et 144.

**29.** Serv. in Aen. X, 345: Lucilius in tertio *nox* pro *nocte:*

*Hinc media remis Palinurum pervenio nox.*

Hoc nomine et promontorium et portus appellabatur. Dionys. Hal. I, 53. Sed neque portus a ventis vehementibus tutus est et totum circa eum littus concitato mari infestum navigantibus. Cluver. It. ant. IV, 14. p. 1260. Mannert. Ital. II. p. 136.

* * *

**30.** Varro de L. L. V, 5. p. 40 Sp. (D. Inc. 96.)

*) *Terra abit in nimbos imbresque.*

Provectis e portu vel tempestate serena *terraeque urbesque recedunt,* ut ait Virgilius Aen. III, 72. Lucilio autem littora legenti terrae aspectum ademit *nigrans commixtis imbribus nimbus.* Virg. Aen. IV, 120. cf. III. 198.

**31.** Non. XV, 28. p. 546: Carchesia pars mali i. e. foramina, quae summo mali funes recipiunt. Luc. III:

*Hic ...... mali superat carchesia summa.*

Ascensu superat: ita enim Virgilius quoque Aen. II, 302: *et summi fastigia tecti ascensu supero atque adrectis auribus asto.* »Erat autem in mali cacumine machina quaedam, in qua stare vel unus vel plures poterant, eoque ascendebant nautae ventos et alia exploraturi.« Haec ex Baysio et Scheffero qui de re navali scripserunt Forc. Lex. v. carchesium.

**32.** Isidor. Origg. XIX, 4 (D. Inc. 11): Catapirates linea cum massa plumbea qua maris altitudo tentatur. Lucilius:

*) *Huc catapiratem, puer, eodem defer et unctum*
*Plumbi pauxillum rodus linique metaxam.*

Providentis haec sunt, ne in brevia abripiatur aut in saxa latentia. Plumbeo perpendiculo, quod Graeci καταπειρατῆρα sive βολίδα appellabant, nautae, simulac timendum erat ne carina vadis aut rupibus illideretur, utebantur ad pertentan-

dam maris altitudinem. Qua explorata ubi senserunt terram non procul abesse aut alioquin fore periculosam navigationem, jaciebant ancoram ad quam consisterent, θοᾶς ναὸς χαλινόν, ut dicit Pindarus, et χοιράδος ἄλκαρ πέτρας. Cf. id. Ol. VI, 170 et Act. Apost. XXVII, 37 — 30 et 40.

33. Non. II, 422. p. 123.

*Illud ad incita' quum redit atque internecionem.*

Apte, ut mea est opinio, hoc quoque refertur ad navigationem. Incidisse enim navem in aliquod magnum periculum, si superiora recte huc transtulerim, credibile atque verisimile est.

34. Idem XIII, 16. p. 536. (D. Inc. 10.)

*) *Armamenta tamen, malum, vela omnia servo:*
*Funis enim praecisu' cito atque ἄγκυρα soluta.*

35. Probus ad Virg. Bucol. init.: Orestes post parricidium furens responso didicit, quod deponeret furorem ita demum, si recuperata sorore Iphigenia ablueretur fluvio, qui septem fluminibus confunderetur. Diu vexatus quum in Taurica Iphigeniam reperisset, venit ad fines Rheginorum: ibique invento flumine elutus trajecit in Siciliam et juxta Syracusas a somnio admonitus simulacrum deae quod secum de Taurica advexerat templo posito consecravit: quam appellavit Phacelitim, quod fasce lignorum tectum de Taurica simulacrum extulisset. — — Phacelitidis autem Dianae Lucilius quoque in tertio Satirarum meminit sic:

*et saepe quod ante*
*Optasti, freta Messanae et Rhegina videbis*
*Moenia, tum Liparas, Phacelinae (et) templa Dianae.*

Poterit videri quibusdam loca haec eo ordine proferri, ut existimari debeat illum, quisquis est quem alloquitur Lucilius (nisi alium tam perite loquentem induxit ac fortasse ipsum terrestris itineris comitem: nam navigasse Lucilius videtur solus, v. Fr. 29) illum igitur prius conspecturum esse fretum et Rhegium quam Liparas et templum Dianae. Quodsi ita vere existimetur, Lucilium non navi ad fretum sed pedibus pervenisse erit in confesso, quippe qui sinum a Palinuro promontorio usque ad Scyllaeum patentem trajicit, ante necesse est conspicetur Aeolias Siciliaeque littus quam freti angustias oppidumque Rhegium. Verum tale est initium hujus fragmenti, ut sit magis consentaneum, *tum* particulam pertinere non ad temporis consequentiam sed ad rerum diversitatem, ut idem valeat ac *praeterea*, promittique his versibus fore ut loca ista omnia simul prospiciantur. Id quo uno de loco fieri possit si quaeris, mihi operae est quod sentio expro-

mere (quamvis proclivis hac in re error sit ejus cui ultra Halas procedere non licuit). Apertum est enim locum quem dico nec prope Rhegium nec in Liparis quaerendum, sed medium esse inter hos quasi terminos positum. Nullum autem in hoc intervallo commodiorem reperias quam Scyllaeum promontorium cum urbe cognomine. De quo sic scribit Strabo VI, 1: *πέτρα χεῤῥονησίζουσα ὑψηλὴ τὸν ἰσθμὸν ἀμφίδυμον καὶ ταπεινὸν ἔχουσα, ὃν Ἀναξίλαος ὁ τύραννος τῶν Ῥηγίνων ἐπετείχισε τοῖς Τυῤῥηνοῖς κατασκευάσας ναύσταθμον, καὶ ἀφείλετο τοὺς λῃστὰς τὸν διὰ τοῦ πορθμοῦ διάπλουν.* Apparet, nisi fallor, ex illo saxo tanquam ex specula longe prospici posse. Ac Liparas quidem ex Italiae ora cerni idem Strabo testis est l. d.: interest enim spatium XXV ferme milium, inter Rhegium autem et Scyllaeum ad summum XV. v. Plin. III, 5, 10. 8, 14. cf. Strab. l. d.

**36.** Non. I, 77. p. 21.

*Crebrae ut scintillae in stricturis, quod genus olim*
*Ferventi ferro —*

**37.** Isidor. Etym. XIX, 7. (D. Inc. 14)

*) *Et velut in fabricam fervens quum marculu' ferrum*
*Multorum magnis . . . . . . . . ictibu' tundit.*

In his haud ambiguum est, quin Lucilius comparaverit aliquid cum eis quae fieri soleant in fabrica ferrea. Quod ipsum conjectando expedire (etenim justae disputationi atque argumentationi nullum haec locum dant) nunquam ego sustinerem, nisi esset mihi persuasum, illud quod traditum est Virgilium ex stercore Ennii aurum collegisse, pertinere etiam ad alios superioris aetatis poetas ac maxime ad Lucilium. Virgilius igitur in libro octavo, ubi ad fabricanda Aeneae arma Vulcanum a coelo facit descendere in Hieram, unam ex Aeoliis, de hac ita narrat: (v. 418—21)

Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Aetnaea tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis
Stricturae Chalybum, et fornacibus ignis anhelat.

Stridunt stricturae, quum malleo tunduntur et crebrae scintillae prosiliunt. Fieri id subter insulam dicit Virgilius, sed non credo finxisset, nisi simile quid esset apertum, ut Strabo VI, 2 testificatur his verbis: *ἔχει* (Hiera) *ἀναπνοὰς τρεῖς ὡς ἂν ἐκ τριῶν κρατήρων· ἐκ δὲ τοῦ μεγίστου καὶ μύδρους αἱ φλόγες ἀναφέρουσιν.* Hujus rei mentionem fecisse Lucilium suspicio est quae vel solo fragmento 35 excitetur: ea vero augetur et quodammodo confirmatur composita cum iis quae ad illud disputata sunt hac narratione Polybii, ap. Strab. l. d.: *Ἐὰν μὲν νότος μέλλῃ πνεῖν, ἀχλὺν ὁμιχλώδη καταχεῖσθαι κύκλῳ τῆς νησίδος, ὥστε μηδὲ τὴν Σικελίαν ἄπωθεν φαίνεσθαι· ὅταν δὲ βορέας, φλόγας καθαρὰς ἀπὸ τοῦ λεχθέντος κρατῆρος εἰς ὕψος*

ἐξαίρεσθαι καὶ βρόμους ἐκπέμπεσθαι μείζους. Fragosam flammarum eruptionem Lucilius in secundo loco cum ictibus tuditantium confert, id quod praeter Virgilium planius etiam exprimit auctor Aetnae carminis, v. 556:

ut quum<br>
Fabriles operae tudibus contundere massas<br>
Festinant, ignes quatiunt follesque trementes<br>
Exanimant pressoque instigant agmine ventos.

38. Non. III, 200. p. 223. (D. Inc. 53.)

*) *Saxa et stridor ubi acquierunt, tum sibilus instat.*

Sibilus hic vel ventorum est strepitus, qui flant per subterraneas Vulcaniae cavernas (v. Serv. in Aen. VIII, 416) vel sonus ille quem Dorvillius apud Burm. in Virg. VIII, 422 dicit quasi fluctuum maris esse vi per cavernas ab utroque latere pervias irruentium et penetrantium: qui dum pertranseunt (sic dilucidius idem in Charit. p. 621 ed. Lips.) saxa ignea per craterem magno cum fragore exire cogunt aere in superiora expresso et satis alte tollunt ejaculanturque. Horum igitur spiritum perstare ait Lucilius vel tum demum exaudiri, simul saxorum stridor aliquandiu cessaverit.

* * *

39. Idem III, 96. p. 206. Charis. I. p. 55.

*Romanis ludis forus olim ornatu' lucernis.*

40. Idem VII, 64. p. 475.

*Tu partem laudis caperes, tu gaudia mecum*<br>
*Partisses.*

41. Idem I, 178. p. 38. IV, 119. p. 279.

*Symmachu' praeterea, jam tum depostu' bubulcus,*<br>
*Exspirans animam pulmonibus aeger agebat.*

42. Idem II, 733. p. 164.

*Exhalat placidos tum demum pectore ructus.*

43. Charis. II. p. 197.

*Utpote.*

# ANNOTATIONES.

1. Apud interpretes illos, quorum reliquiae in Servii editione a Lione curata repetitae sunt, vol. II, p. 312 sic exstat: *Fandam atque auditam iter ab ima fl....* Quod hoc modo restitui potest:

*Fandum atque auditum iter imo*
*Ab fluvio*

In principio collocavimus, quia apposita quae sunt *fandum* et *auditum* ad totum iter pertinere videntur, non ad aliquam ejus partem.

2. *Manticam* commentator Cruq. docet esse peram sive avertam, vulgo bissaciam (ita pro *bistacia* legendum arbitror, quod Italis est bisaccia, quasi bis saccus, Hispanis bizaza, Francogallis besace). *Sarcinas ab utroque caballi latere dependentes* praedicat Seneca l. d.

3. Nonii quinque editionum quas mihi inter se conferre contigit antiquissima Venetiis per Antonium de Gusago impressa est a. 1498. in qua etsi verba Nonii nunc depravata nunc mutilata sunt mirum in modum, nonnunquam tamen scripturae pulcherrimae inveniuntur et sola cum editione Mercerii secunda conspirantes. Alteram una cum Varronis de L. L. et Festi libris adjectis Michaelis Bentini castigationibus Perotti Cornucopiae subjunxit Valentinus Curio, Basileae a. 1532. Qui quum Nonium integriorem multo et emendatiorem exhibuerit, quantum vetustissimo isti exemplari quo se usum esse affirmat quantumve editionibus prioribus debuerit, mihi in his copiolis meis judicare non licet. Tertium in scrinio meo locum obtinet prior editio Mercerii quae Parisiis a. 1583 prodiit: cujus in fronte quidem ille nomen suum celarit, at verum editorem se ostendit libello Variarum Lectionum, qui simul de eadem officina corollarii instar emittebatur. Hanc editionem D. Gothofredus in Auctoribus linguae Latinae a. 1585 ita fideliter exprimendam curavit, nulla ut ejus mihi habenda ratio fuerit. Postrema et optima, hoc est, mendorum et paucitate et levitate omnibus praestans Merceriana altera est, typis denuo descripta cura Spangenbergii Lipsiae a. 1826. — Haec praemittenda duxi, ut posthac in examinandis locis Nonii qui sunt plurimi breviter dicere liceret.

*Praeterea omne iter est omne labosum atque lutosum* Venet. *Praeterea omne iter hoc est labosum atque lutosum* Basil. item Merc. 1. 2. sed omissis *atque lutosum*, quae tamen potius excidisse in mss. quam a librariis adjecta credam. Ceterum verborum ordinem mutandum esse patet. *Labosum*, si Nonio fidem habemus, pro eo quod est laboriosum accipi debet. Attamen tam crebro peccat iste, maxime in exquirenda vocabulorum origine, ut dubitem an Martinio in Lex. Phil. accedam, qui hoc ipso Lucilii versu probari vult ortum illud esse ab eo quod est *labes*, ut sit quasi plenum labis, ubi facile sit labi. Nihil est a grammatica ratione quod in hac sententia offendat. Quam si quis sequi malit, versum etiam leviore mutatione sic reficiet: *Praeterea omne iter hoc labosum est atque lutosum.*

4. *Susque deque esse* praeter Lucilium Varro dixit in Sisenna, quem locum ipse Gellius affert: Laberius in Compitalibus ap. eundem *susque deque ferre,* Plautus Amphitr. III, 2, 5 *susque deque habere,* Cicero denique ad Att. XIV, 6 *susque deque,* omisso ferendi vel habendi verbo. A nullo autem *et* particula interponitur, ut factum videmus in Lucilii versu altero: eaque origine rationeque hujus locutionis adeo aliena videtur, ut facile inclinemus ad eam tollendam, praesertim quum vix ullum librariorum mendum frequentius sit quam hanc vel adjicere vel praetermittere particulam. Qua ergo deleta, excusationem productae *que* syllabae, quamvis in thesi positae, quaerenti mihi occurrit Virgilius: in cujus poematis quum notum sit saepius *que* longum esse, advertendum est sic plerumque id fieri, ut haec particula in eodem versu consequatur bis vel ter correpta, velut Georg. I, 279: Coeum*qué* Japetum*que* creat salvum*que* Typhoea. Aen. III, 91: Limina*qué* laurus*que* dei totus*que* moveri. XII, 363: Chlorea*qué* Sybarim*que* Dareta*que* Thersilochum*que*. Item in reliquis locis et Virgilii et aliorum poetarum, quos collegit Schneider. Gr. Lat. I. p. 752. 691. Qui quidem nunquam concesserit encliticam hanc produci posse in thesi. At nescio cur tam duri velimus esse, ut poetae quem durum componere versus fuisse sciamus, quidquid legibus optimorum et politissimorum carminum repugnat imputare recusemus. Neque Virgilium credo arsi hac in vocula tantam vim tributurum fuisse, nisi ei praeivissent superiores poetae (cf. Serv. in Aen. III, 91): quibus tamen quae rudia essent et minus perfecta illum limatiore suo judicio mutasse et severioribus legibus astrinxisse existimandum est. Aliam emendandi viam ingressus Janus Dousa in *et* particulae locum substitui *haec* voluit, quod ita forsan magis placeat, ut reducendum id esse ex priore versu dicamus, in quo facile desiderari possit. Ex vetustioribus editionibus ejus loco *hic* consignatum est, ac deinde *ubi,* sed utrumque ut arbritror a manu interpolante. Neque *fines,* quemadmodum in tertio versu J. Dousa et Oiselius correxerunt, accipio: similia enim haec sunt apud Livium: *ad finem Tusculanum, ad finem Campanum, ad finem Lucrinum, finem Pisanum.* v. Gron. in XXXV, 27, 9. Is autem ab antiquioribus et solutae et ligatae orationis scriptoribus non res modo quae exposuit verum ipsa verba sua sumpsit. cf. Doederl. Synon. III. p. 161.

Multo plus habet difficultatis propter unum vocabulum Graecum versus quartus. Varie id scriptum est, his quattuor modis: αἰπύλιπον, αιπιλιποι, aιΓιaιBοι, aιπιaποι. Ex horum uno alterove natum quod in vetustis editionibus (teste Lione, nam mihimet ipsi unam Venetam quam Feretrius curavit inspiciendi potestas fuit) vulgatum est hoc modo: ἐπὶ τὸ λοιπὸν *ut ajunt.* H. Stephanus dedit αἰγίλοποι, Longolius αἰγίλοιποι, quanquam longe praestat quod Th. Canterus Var. Lectt. II, 8 conjecerat αἰγίλιποι. „Quod ad probandum, inquit, vel unus Homerus sufficere videtur, qui multis in locis sic dicit: ἤτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης (Il. ι, 15. π, 4), quum loquitur de scopulo aliquo praerupto et rupe adeo alta, ut prae altitudine a capris relinquatur." Haec etiamnunc vulgaris de vocis origine opinio, recepta a Schneidero et Passowio, etsi a Riemero explosa, manavit ab antiquo fonte. Est enim proposita cum duabus aliis multo ineptioribus in Schol. Venet. ad π, 4 et ab Eustathio ad β, 633 et ι, 15. Verumtamen aliter sentio. Nam ut concedam priorem compositi vocabuli partem ab eo ducendam esse quod est αἴξ, altera certe non ad λείπω sed ad λίπτω (de quo v. Dorvill. in Charit. p. 174) revocetur necesse est, ut toti haec sententia subjecta sit: *caprarum amans.* Cui non est absimile πέτρα γυπιάς, ap. Aesch. Suppl. 795, licet αἰγίλιψ per μετάληψιν notionem praeruptae altitudinis acceperit. Attendendum est

etiam quid exigat componendi ratio: etenim quae figurata sunt pari modo, ut βουπλήξ, χέρνιψ, eorum in parte verbali vis inest activa, non passiva. v. Meiring. de verbis copulatis apud Homerum et Hesiodum p. 26. Intercedit tamen quominus in hac etymologia acquiescamus Hesychius, qui dicit: Λίψ, πέτρα ἀφ' ἧς ὕδωρ στάζει. Quod apte quadrat in versum Homeri Il. ι, 15 et π, 4: ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ. Hanc ob rem stirpem posterioris partis quaerendam in iis quae sunt λίσπος, λίσσος, λισσάς et priorem referendam existimo ad ἄγνυμι, sicut in αἰγίαλος fecit Passowius.

Mirari licet Canterum ad tuendam omni ab dubitatione conjecturam suam nihil de vocabuli a se repositi exitu novo commonuisse: tametsi eum idoneis exemplis defendi non ignoro. Variabant enim Graeci nullo sententiae discrimine v. c. ἔλλοψ, ἔλλοπος, νεόζυξ, νεόζυγος, νεοζυγής, ἀργίλιψ, ἀργιλιπής aliaque multa quae congesserunt Porso et Schaefer. in Med. Eurip. 1363. Cf. Bast. Epist. crit. p. 154 et A. Meinek. Cur. crit. p. 51. Itaque dubitari potest, num, quae fuit Alberti opinio, genitivum posuerit Hesychius, quum scriberet: αἰγίλιπος, ὑψηλὸς τόπος. Quam formam Latino scriptori altera usitatiorem fuisse conjici potest ex his, quae apud Lucilium ejusque aequales inveniuntur: *Arabus, Aethiopus, elephantus.*

Jam vero quantumvis haec quae de voce αἰγίλιψ disputavimus speciosa sint et quam maxime valeant ad comprobandam Canteri emendationem, duo tamen relinquuntur quae dubitationem afferant: unum quod αἰγίλιψ ab Homero et Aeschylo (Suppl. 794) non mons sed rupes vocatur (nimirum significat id quod est undique abscissum et velut laevigatum), alterum quod libri mss. π litteram in parte vocabuli priore constantius retinent. His de causis depravatam censeo alteram partem reponoque hoc αἰπύλοφοι, quod dictum est, ut opinor, exemplo Aeschyli Agam. 285: Ἄθωον αἶπος et Pindari Olymp. XIII, 158: Αἴτνα ὑψίλοφος. Hesychius: Αἰπύ, τὸ ὑψηλὸν καὶ χαλεπόν. Item: Αἶπος, κάματος ἢ ὑψηλὸς τόπος ἢ ὑλώδης. Ergo cognata huic vocabula ἀνάντης, *arduus.*

5. *Corpore* Venet. Basil. Merc. 2. *corpori* Merc. 1. Dousa. Item ap. Nonium p. 202, etsi mei libri sic habent: *esurienti leoni ex ore exsculpere praedam,* Mercerius tamen *esuriente* legendum ait. At de Lucilii sententia scribendum potius *corporei* et *esurientei.* v. Quinctil. I, 7, 15. Schneider. Gr. Lat. II, p. 200. Cf. Burm. in Virg. Aen. VI, 727 et Schol. Acr. in Hor. Sat. I, 5, 47.

7. In Prisciano Putsch. sic legitur: *Et somno pueros cum mane expergitus clamas.* Hoc mutato *et* in *e* servavit Krehlius. Diomedem etiam Dousa secutus est. Alii apud Forcell. v. expergitus hoc modo tentarunt: *cum mane, expergite, clamo.* Speciosius quam verius.

8. Sic Merc. 1 et Dousa. *non purpura nulla peloris* Basil. Merc. 2, unde intelligitur Mercerium putasse duas negationes hic positas esse ut vehementius negarent. Sed ostreae, purpurae, pelorides tria sunt diversa concharum marinarum genera, quod vel ex Macrob. Sat. II, 9 apparet. Ibi enim de coena narratur quam Metellus Pius pontifex maximus aliis pontificibus dederit ternis ferculis: quorum in primo videmus echinos, *ostreas* crudas, *pelorides,* spondylos, turdum, asparagos, in secundo gallinam altilem, patinam *ostrearum, peloridum* et post alia multa murices et *purpuras.*

9. Nonius p. 145 numero libri neglecto haec profert: *Asparagi molles, sed viride cyma.* Dousa, qui in incertis collocavit, *sed* in *et* mutandum censuit. Sed mea de sententia conjungendum cum eo quod Charisius tradidit, hoc pacto: *Asparagi molles nulli sed viride cyma.* Cyma, etsi ex omnibus brassicae generibus suavissima est, teste Plinio N. H. XX, §. 35, tamen inutilis habebatur et eodem auctore XIX, §. 41 Apicii luxuriae fastidita erat.

11. Haud certa ratione in Lexico Forcell. docetur oenophorum vas esse ferendo vino in *itinere* aptum. Neque enim probari id potest locis Horatii et Persii qui sunt Sat. I, 6, 108 et V, 140 et adversantur Juvenalis VI, 426. VII, 11 ac Martialis VI, 89. cf. Schol. Cruq. in Hor. Sat. II, 8, 38. Lucilii autem versu pro istius rei testimonio uti non licet.

12. In numero libri cum Merc. 2. consentiunt Venet. et Bas. *Lib. VIII* Merc. 1, quam Dousa est secutus. Ceterum *amicula* Venet. *annicula, aspera, atque praecox est fuga* Merc. 2 quod non video quo alio modo explicari possit quam sic: aspera (illa) atque praecox fuga annicula est. At ita contorte dixisse Lucilium non credo, quanquam subit animum suspicio quaedam de verborum integritate. Quare quae recepi intacta relinquere fortasse praestat quam velle corrigere. Tamen proponam quod sentio, ut alii videant si poterunt meliora:

*aspera anicla,*
*Atque fuga est praecox.*

13. Apud commentatorem Cruquii haec annotata sunt: »*Mala lustra* dixit perpetuo epitheto, nec enim sunt bona, ut ad eorum discretionem mala dixerit. Sic et a Plauto *Athenae Atticae* et a Lucilio *Campana Capua.*« Eadem iisdem verbis in sch. Porphyr. repetuntur, nisi quod postrema ita immutantur: »Sic dicitur a Plauto *Athenis Atticis* et a Lucilio *Campana Capua.*« Quo modo fit probabile haec quoque casu ablativo posita esse. Nam *Athenis Atticis* ter est apud illum: Epid. III, 4, 65. Mil. II, 1, 22. Pseudol. I, 5, 12. semel *Athenas Atticas* Trucul. II, 6, 16. Verum et levior haec res est et quae ad liquidum perduci non possit. Majoris momenti est quaerere, nunquam vim habeant epitheta illa perpetua et quamnam. A scholiastis Horatii dissentit Pareus, qui in Lex. crit. a Plauto *Atticas Athenas* dici putat, quia plures Athenae fuerint, Boeoticae et Euboicae aliaeque. Neque assentitur Lambinus, nam *mala lustra* apud Horatium hoc epitheto ait distincta esse ab iis voluptatibus, quae legibus civilibus concessae et ferendae essent. Propius utique ad veritatem commentatores illi accesserunt, ut ex iis cognosci potest quae ad Hor. Epist. I, 10, 48 egregie disputat Obbarius. Ab exemplis tamen quorum magnam copiam conquisivit nonnihil differunt Plauti et Lucilii verba ab eo neglecta. Etenim quum v. c. *humida vina* et *liquidum aequor* et ejusdem generis cetera ita sint dicta, ut adjectiva non afferant quidquam novi, sed ut rei qua de agitur propriam naturam declarent magisque in animi sensu ponant: in his quae sunt *Athenae Atticae* et *Campana Capua* non dubitem quin insit quod ad mores utriusque populi spectet. Atque illud quidem laudis aliquid habere solet, etiamsi non semper: huic autem, quum Campania omnium Italiae regionum felicissima praedicaretur, at ejusdem incolae apud Romanos pluribus de

causis male audirent (v. Cic. I Agr. 7. II, 34. 35. Plaut. Trin. II, 4, 144. Hor. Sat. I, 5, 62. cf. Lips. Elect. I, 24), alterutrius rei quaedam significatio adjuncta fuerit necesse est. Utra vero hoc loco potiorem vim habuerit investigari ob paucitatem verborum residuorum non potest, quanquam mihi videntur esse interpretanda in bonam partem.

14. *Sumus* addidi de conjectura J. Dousae. *Nimis* cur proposuerit idem, non ego intelligo. Insignis autem Nonii est incogitantia, qua nobis persuadere cupit, *invitare* hoc in loco significare *repleri*.

15. Ut pulvinum explicarem lectum triclinarem, Juvenalis fecit III, 82: *fultusque toro meliore recumbet*, et Seneca de ira III, 37: »Minus honorato loco positus irasci coepisti convivatori, vocatori, ipsi qui tibi praeferebatur. Demens, quid interest quam lecti partem premas? Honestiorem te aut turpiorem potest facere *pulvinus?*« Casaubonus in Pers. V, 146 *fulcire* hic ait esse quod Graeci dicant ἐρείδειν ἀγκῶνι. Suidas: Ἐρείδω, τὸ ἀκουμβίζω. Cf. Plaut. Cas. V, 2, 9.

16. *Malas tollimus animo atque utimur rictu* Venet. Bas. *utimur* etiam Merc. 1. 2.

17. Contrarium est *soleas demere*. v. Plaut. Truc. II, 4, 16. Lips. Antiq. Lectt. III. p. 145. Hunc versum in eandem sententiam accepisse videtur Scaliger, quippe qui, ut Dousa refert, illi proxime praecessisse judicaret hunc: *Et pedibus laeva Sicyonia demit honesta.* v. Fest. p. 149 Lind. Cui similis versus Lucretii IV, 1118: Unguenta et pulcra in pedibus Sicyonia rident.

18. Ultima duo verba, quae in Nonii libris desunt, tuitus est ab interitu Priscianus p. 689 P. VI, 5. I. p. 236 Kr.: »Lucilius in IV *Aethiopus* dixit pro *Aethiops: Rhinocerus* (—*ceros* Putsch.) *velut Aethiopus.*« Libri numerus in Putschii editione desideratur et Krehlius nihil de eo annotavit: quem licet eundem praebeat editio Neapolitana a. 1520, tamen vitiosum esse confido. Dousa quidem hoc totum fragmentum ad ludum gladiatorium referri et fr. 12 libri IV cum eo connecti voluit: sed nimis facile ille levi huic repentinaeque suspicioni obsecutus est. — *Broncus novit lanius* Ven. Bas. Merc. 1. *novillanius* Merc. 2. *Bronchus novus lanius* conj. P. Merula. *bovillanus* c. Turneb. Adv. 17, 24. *ovat lanius* c. A. Junius. *obit* c. J. Dousa et Palmerius. *Bovis* ego scripsi propter ea quae sequuntur: *velut Rhinoceros Aethiopus.* Rhinocerotes enim, qui alias cum elephantis pugnasse narrantur, componebantur etiam cum tauris. Martialis XIV, 53 rhinocerotem tauri victorem celebrat:

> Nuper in Ausonia domini spectatus arena
> Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

cf. Spect. IX. De ea belua Plinius N. H. VIII, 20, 29 ita scriptum reliquit: »Iisdem ludis (Pompeji Magni) et rhinoceros unius in nare cornus, *qualis saepe visus.* (Aethiopo duo esse cornua testis Pausanias IX, 21, 2. cf. Jo. Argol. in Onuphr. Panv. de Lud. Circ. II, 3. p. 382). Alter hic genitus hostis elephanto: cornu ad saxa limato praeparat se pugnae, in dimicatione alvum maxime petens, quam scit esse molliorem.« — *Broncus* meae edd. Nonii, sed a Victorio ad Varr. de R. R. II, 7, 3 notatum hic et capite nono

*brocchi* per cch sine n littera exaratum esse in optimis exemplaribus. Eodem modo apud Plinium N. H. XI, 37, 64 scriptum est et ap. Fest. v. valgi. Praeterea cognomen quod est *Brocchus* et in codicibus et in lapidibus n littera caret. v. Cic. pro Ligar. XI. Burm. Anthol. II. p. 245. Alia denique quibus haec scriptura commendetur affert Forcellinus Thes. h. v. Quae cuncta etsi non parvi aestimanda, tamen ad omnem fidem Nonii libris derogandam non sufficiunt.

**19.** Sic lib. ms. ap. Merc. Var. Lectt. quae priori ed. adjectae sunt. *Protundit* Bas. Merc. 1. Dousa. *profundit* Merc. 2. Dousa huic versui comparat verba Sulpiciae, Sat. v. 36: *Non trabe sed tergo prolapsus.* Recte fortasse. Mihi vero eum fragmento 18 subjungenti in mentem venit Martialis de Spect. XII: *o Lucina ferox, hoc peperisse fuit?*

**20.** Haud immemor hujus loci Lucretius fuit III, 514: *Commutare animum quicunque adoritur et infit.* quo magis in promptu est quam temere J. Dousa conjecerit *quencunque.* Sed *animum* nescio an reponendum. De cetero *conturbari* unus cod. Kr.

**21.** Haec spectacula Capuae non modo publice in amphitheatris sed etiam privatim in conviviis edi solita memoravit Strabo V, 4. cujus haec sunt verba: Καμπανοὶ ἐπὶ τοσοῦτον ἐνετρύφησαν, ὥστ' ἐπὶ δεῖπνον ἐκάλουν πρὸς ζεύγη μονομάχων, ὁρίζοντες ἀριθμὸν κατὰ τὴν τῶν δείπνων ἀξίαν. v. Od. Mueller. Etrusc. II. p. 222. Nicolaus Damascenus p. 126 ed. Orell. litteris mandavit non prius quam convivae cibis et vino satiati fuissent gladiatorum paria intromissa: καὶ ὁ μὲν ἅμα ἐσφάττετο, inquit, αὐτοὶ δ' ἐκρότουν ἐπὶ τούτῳ ἡδόμενοι. — In schol. Donati olim legebatur: *in locum Hispanus*, et Lindenbr. e l. ms. enotavit: *in locum his pinnis.* Emendavit primus J. Dousa auctoritatem secutus veteris Juvenalis scholiastae, qui l. d. sic loquitur: „Pinnis pavonum ornari solent gladiatores, si quando ad pompam descendunt. Pinnirapes autem dicit lanistas ex habitu gladiatorum, quia post mortem retiarii pinnam id est manicam rapit, ut ostendat populo se vicisse. Aut ideo Pinnirapes, quia pinnas in galeis habebant, ut Lucilius: *Cum septem incolumis pinnis redit ac recipit se.*" Utrum ex his rectum sit et num vere Schurtzfleischius correxerit: *pinnam is ex manica rapit,* nunc mihi non liquet. Sat multa in rebus gladiatoriis etiam post Lipsium accurata disputatione indigent. Notabile vero quod Lindenbruchius animadvertit verba haec Lucilii in animo versata esse Appulejo Apol. extr.: „Quae si omnia affatim retudi — si philosophiae honorem (qui mihi salute mea antiquior est) nusquam minui, immo contra ubique si *cum septem pinnis* eum tenui" cett. Pro his vetustiores libri *cum septem poenis* exhibent, Bipont. *conseptum penitus.*

**22.** Non infrequens hoc appellandi genus. Praeter alia quae nota sunt admoneo quod Plinius tradit IV, 22, Naxon vocatam esse minorem Siciliam. Cujus nominationis quae fuerit causa facile potest perspici. Puteoli vero, jam per secundum bellum Punicum coeptum frequentari emporium, anno u. c. 539 a Romanis et praesidium et nomen accepit. Liv. XXIV, 7. Strab. V, 4. Multi huc etiam propter aquas concurrebant. Cic. Planc. 27. Varr. de L. L. IX, 41. p. 507 Sp. Plin. XXI, 2. Delon autem, quam Ciceronis aetate celebrari desisse constat (v. pro leg. Man. 18), veteri gloria quum Lucilius scriberet nondum excidisse, etsi ex hoc ejus versu colligi non licet, certis tamen auctoribus

compertum est. Deleta enim urbs a. u. c. 667 ab Archelao Mithridatis duce, si Appiano XII, 28, a Menophane duce ejusdem, si Pausaniae credimus III, 23.

23. Turnebus in Adv. XXVIII, 9 poetam faceto quodam dicto exornare conatus est, quo is minime eget. Sic enim ille: „Portam itineri longissimam dicit Varro (R. R. I, 2, 2), quod, quum ab urbe proficiscendum est, cunctamur vixque pedem efferimus, qua ubi exivimus facile quo intendimus pervenimus. Eandem sententiam expressit eleganter Lucilius, qui ad portam longum iter ait, sed portae vicinum Salernum, quum tamen longissime ab urbe Salernum absit: *Ad portam mille, a porta est exinde Salernum.*" Haec expositio repetita a Carolo Animadv. p. 90 placuisse videtur et Stephano et F. Gronovio, qui hoc modo in Gellio vulgarent: *Ad portam mille, a porta est sex inde Salernum.* Nec aliter Dousa. Ac sane idem jam in antiquis Macrobii editionibus habetur, Joannis Rivii a. 1512, Arnoldi Vesaliensis a. 1521, in Lugdunensi a. 1556 et in Bipontina. Verum in Gellio Feretrii et teste Lione in superioribus omnibus versus Lucilii ita scribitur, ut supra a me ceteris interpositus est itaque eum scribi necesse esse et Gellius et Macrobius manifesto ostendunt. Quorum ille: „Quadrigarius in tertio Annalium ita scripsit: Ibi occiditur mille hominum. Occiditur, inquit, non occiduntur. Item Lucilius in tertio Satirarum — Mille, inquit, est, non mille sunt." Luce clarius est et apertissime patet *est* referri ad *mille:* neque quenquam dixisse censeo *sex* (milia) *est*, ut Stephano, Dousae, Gronovio visum est. In Turnebi autem ratione ad *mille* referri illud non oportet, sed aliud quid facile intelligi potest, quod omnino est contra Gellii mentem.

Antiquam veramque scripturam magis depravavit J. Gronovius, in hunc modum: *Ad portum mille a Paesto est, sex inde S.* sicque in priscis editionibus esse affirmat, quod a Lione addubitatum video. „Portum intelligit, ut ait Lion, Alburnum, propinquiorem Paesto et longinquiorem a Salerno, ita ut, qui a Paesto Salernum petebant, aut ipsum portum Alburnum transire deberent aut propter illum." Attamen neque consideravit ille, unde venisset Lucilius aut quo tetendisset, neque putavit, quot inter Paestum et portum Alburnum quotve interessent milia inter hunc et Salernum.

24. Ad reficiendum versum J. Dousa suasit: *promontoriolum.* Magis arridet quod Scaliger excogitavit: *promontori imum.* Similiter enim Plinius N. H. IV, 11, 18: *amnem Pangaei montis ima ambientem.* Sed verisimilius est Servium praetermisisse particulam, qualis est *enim*, nisi extremae duae syllabae synaeresi coalescebant, ut ap. Ov. Met. XV, 709: *Inde legit Capreas promontoriumque Minervae.* v. Schneider. Gr. Lat. I. p. 93. Quodsi ita est pronunciandum, facile versus reconcinnatur praeponendo *et* aut simili aliquo vocabulo.

25. Charisius alterum hoc exemplum ex Caelii historiarum primo affert: *duodecies centena milia passuum longe.* Plura e Catone aliisque collegit Ruddim. II. p. 100. n. 73. Stallb.

26. Hic versus leviter interpolatus est apud Probum: *quattuor hinc ad Silari fl.* Restituit jam Dousa.

27. In verbis Nonii: *qua flexae* Basil. Merc. 1, Dousa, Forcell. v. gruma. Illud quod recepi supervacaneum judicari potest, sed multum tamen hac in re loci habere ex

iis quae mox edisserentur cognitum erit. *Grumam dirigire* Merc. 1. *Degrumari ferrum* omnes libri: emendavit nescio quis, cui Mercerius p. 667 cetera assensus *degrumare* rectius esse existimavit, sed eum fefellit apud Lucilium *degrumari* passive esse positum. *Viamque degruma vis ut castris* Vēnet. et sic etiam Turneb. Adv. 29, 19. *degrumari vis* v. cod. apud Dousam et Basil. unde J. Dousa conj. *degrumarier ut c. vis degrumari* Merc. 1. Dousa et Scaliger in Fest. p. 441. Jam facile, opinor, perspicitur qui Venetae editionis depravatio nata sit: ex ea porro *degrumabis ut c.* Merc. 2. in quo Dacer. in Fest. l. d. nisi *ut* in *uti* nihil mutandum arbitrabatur, *degrumaris ut in c.* Merula ap. D. et Perottus in Cornuc. p. 488.

Festus in Exc. P. p. 72: „Groma appellatur genus machinolae cujusdam, quo regiones agri cujusque cognosci possunt, quod genus Graeci γνώμονα dicunt.“ Ab hoc Graeco vocabulo Latinum *groma* duxerunt Schelius in Hygin. (v. Graevii Thes. Antiq. Rom. X.), Mercerius in Non. p. 667, Dac. in Fest. p. 441. In glossariis quoque *gruma* tum γνώμων tum βασιλικὴ γνώμη explicatur. v. Scal. in Fest. l. d. Sed ambigi potest, num in Suidae lexico corrigendum sit γνῶμα pro eo quod ibi sic scriptum est: γνώμα. v. Salmas. Exerc. Plin. p. 670. ed. Paris. J. G. Schneider. Lex. Gr. C. L. Schneider. Gr. Lat. I. p. 318. *Groma* igitur verior scriptura videtur quam *gruma*, licet Hyginus loco infra exscripto originem ejus a verbo *congruendi* traxerit. At cum Nonio consentiunt glossographi qui semper per u efferunt, quod magis latinum esse evincitur iis quae Mueller. Etrusc. II. p. 149 exposuit collata praesertim cum hoc Prisciani testimonio I. p. 33 Kr.: „O aliquot Italiae civitates teste Plinio non habebant, sed loco ejus ponebant u et maxime Umbri et Tusci.“ Cf. Mueller. l. d. I. p. 59.

Hanc grumam in castrorum metatione usurpatam esse Hyginus testatus est his verbis (a Schelio emendatis) p. 1022: „Introitu praetorii parte media ante viam principalem *groma* (*gromae* lib. ms.) locus appellatur, quod turba ibi congruat, sive in dictatione metarum posito in eodem loco ferramento groma superponatur, ut portae castrorum in conspectu rigoris stellam efficiant, et professores ejus artis causa supra scripta *gromatici* sunt appellati.“ E quo castrensi *grumae* usu altera manavit significatio, de qua Nonius priore loco memorat et Suidas v. γνώμα (e Polybio fortasse) sic exponit: Ὀλίγον ἐξωτέρω τῆς στρατηγίδος σκηνῆς χωρίον τι ὥσπερ ἀγορὰ ἀπεδέδεικτο, ὃ δὴ γνώμα προσηγορεύετο· ἐκεῖσε δὲ αἱ πρεσβεῖαι καὶ αἱ ἀγγελίαι καὶ ὅλα ἐγίνοντο. Probe haec Schelius p. 1067 illustravit: „Circa gromam h. e. in principiis et ad principia dabantur per exercitum jura et imperia, indicebantur munera, habebantur castrensia judicia, fiebat res divina, huc convocabatur ad concionem exercitus, huc turba castrensis ut ad forum conveniebat, hic totus dies versabatur, donec principia dimitterentur.“ Ita factum esse videtur, ut grumae loca media appellarentur. Atque idem Schelius, cui usui gruma proprie fuisset destinata, p. 1068 (distinctius multo quam Salmas. l. m. et. p. 819) in eam rationem aperuit, ut diceret primum in castrametatione posita groma vias ad lineam mensuratas, deinde pertica cujusque pedaturam, eandemque gromam in tetrante fixam quattuor castrorum portas ostendisse: fuisse itaque signum, at perticam mensuram quae a groma dirigeretur. Huc spectant Glossae quae sunt: *gruma* ὄπτρα τεκτονική vel δίοπτρα ἡ τῶν μέτρων. Verum tamen sicut ipse Schelius observavit discrimen illud a scriptoribus non semper teneri, ita probabile est etiam Lucilium, quum fingeret *degrumandi* verbum (imitatus videretur Horatius illo quod est *denormare*, nisi in hoc praepositio haberet intellectum alium), eo utrumque hoc comprehendisse:

et ad amussim ut dicitur dimetiri et modorum accuratam conputationem inire. Quae latior sententia monstratur hac glossa: *grumat* μετρεῖ, ἐξισοῖ.

28. Ante Merc. 2 vulgaris erat scriptura: *bis quinoctoginta videbis Commoda de Capua quinquaginta atque octo.* Quam Scaliger sic immutavit: *bis quina octoginta videbis Commoda de Capua. Hinc quinquaginta atque bis octo.* Hoc etsi audacius tentatum approbavit ac recepit Dousa. Deinde Mercerius in altera editione sic dedit, ut supra scriptum est, excepta secundi versus vocula *item*, cujus loco apud eum *te* legitur. Quod quo facilius est in *de* convertere, eo hic plus habet dubitationis. Accommodatum existimo *item*, ex quo *te* oriri posse nemo nescit, et notavit exemplo Fea in Hor. Epist. II, 1, 226. Cetera quum propter fidem librorum meliorum quibus Mercerius usus est tum vel eo quod non omni carent mendo longe rectiora prioribus duco.

30. *Abiit* vulg. quod etiam Spengel. tenuit, sed *abit*, quod praeter alios ab illo nominatos teste Dousa Scaligero placuit, ex tribus codicibus Parisinis enotatum est ap. Speng. p. 665. Tametsi me non fallit prius illud defendi sic posse, ut versum statuamus integrum non esse eoque suspicionem moveri excidisse aliquid post verbum *abiit*: at haec tamen ratio nimis incerta est. Praeterea cf. notata ad fr. 33. *Abit* autem, uti nunc sunt verba, pro tempore praesenti, non perfecto habendum. v. Erythraeus Ind. Virg. v. petit. cf. Schol. Porph. in Hor. Sat. II, 3, 61.

31. Initium versus vario modo propagatum est: Lucilius: *Tertius hic mali* Basil. Merc. 1. 2. sed magis fide dignum quod est in Venet.: *Luci. in tertio Hic ...... li.* Ideo recte ut arbitror Dousa deleto illo quod est *tertius* post verbum *hic* lacunae signum posuit, nisi forte hoc quoque inducendum. Sed illam lacunam apte expleri puto voce trisyllaba, ut *etiam* vel *etenim* aut bisyllaba, ut *scansu.* Reliqua Dousa ita invertit: *summi superat carchesia mali*, idque commotus auctoritate Lucani, cujus V, 418 est: *Hic utinam summi curvet carchesia mali*, et Cinnae, ap. Isidor. XIX, 2, 9: *Lucida confulgent alti carchesia mali.* v. Weichert. de Helvio Cinna c. 3. p. 194. At quamvis non incredibile, quin veri simillimum sit illos poetas Lucilii versum cognitum habuisse, nihil tamen iccirco contra librorum consensum mutandum est.

32. Ad ea quae dedi proxime accedit Arevali editio:

> Hunc catapiratem puer eodem deferat unctum
> Plumbi pauxillum rodus linique metaxam.

Longissime absunt quae e cod. Guelf. 3 afferuntur, sic: *Hanc cataparaten puero dedit foret tunc tum plumbi paucillum raudis lineaque mataxat.* Tria haec maxime variant: *Hanc* libri ferme omnes, *hunc* Arev. *huc* Scalig. in Fest. *Catapiratem* nescio quis primus repererit, *catapioratem* Guelf. 1. 2 et Ms. probae notae, ut ait Dousa, Joannis a Wouweren, *cataporatem* vulg. in verbis Isidori et duo Mss. Bonaventurae Vulcanii in versu Lucilii, *cataparatem* plerique. Fuit fortasse Graece scriptum. *Defore tem tum* lib. Joa. a Wouw. *defore et cum* unus lib. Bon. Vulc. *deforet unctum, deferat uncum, defert unctum* alii. Ex his *defer et uncum* praeclare conj. J. Dousa: pari modo deferre dixit Persius V, 126: *I puer et strigiles Crispini ad balnea defer.* Cf. Hor. Epist. I, 12, 23. Improbo tamen

*uncum*, auctore Emerico Cruceio, cujus verba intra proferam. Alterum versum etiam Festus habet, qui p. 223: »Rodus, inquit, vel raudus significat rem rudem et imperfectam. — Vulgus quidem in usu habuit non modo pro aere imperfecto, ut Lucilius cum ait: *Plumbi paxillum rodus linique metaxam,* sed etiam pro signato« cett. Turnebus Adv. 13, 25 utrumque versum ita concinnavit:

> Hunc catapiratem puer eodem deferet unctum
> Plumbi pauxillum rodus linique mataxam.

Alio modo Scaliger:

> Huc cataproratem eodem deferat, uncum
> Plumbi paxillum rodi linique metaxam.

*Cataproratem* voluit, quia de prora demitteretur. Salmasius denique Exerc. Pl. p. 1013:

> An catapirateris eodem deferet uncum
> Plumbi pauxillum raudus linique metaxam?

in quo vide ne vir doctissimus a vestigiis verae manus discesserit longius: certe pueri illius cujus vitam in tanta librorum labe servare contigit mortem ego deprecor. Annotavit autem haecce plura: »Hesych. καταπειρητῆρι, τόπους βαθεῖς πειράζοντι, καὶ ἡ λεγομένη βολίς. (Etiam μολύβδαινα et μολύβδινος κανών.) Dicebatur et καταπειρητής. Illud ap. Herod. (II, 5. hoc usus est praeter Lucilium quantum scimus nemo). Sic φυσητής et φυσητήρ, πρηστής et πρηστήρ.«

De re simili locutus est Statius III, 2, 30. Rogat enim in Propemptico illo (ut ante eum Apollon. IV, 930) omnes Nymphas, ut obsequi velint Metio nautarumque officia subeant: eaque ita inter has partitur, ut nonnullis negotium det perscrutandi maris altitudinem, hoc versu: *Sint quibus exploret rupes gravis arte molorchus.* Prudenter agit Emericus Cruceius quod postremo verbo patrocinatur, in quo omnes libri praeter unum Parmensem congruunt. Sed *arte*, quod vocabulum nobis notissimum est, licebit pro suspecto habere defensorique ejus Barthio adversari. Quodetsi in instrumentum de quo Statius dicit plurimum artis consumptum sit, non tamen illud hac arte verum ipso plumbo grave est. *Ante* sententiae poetae multo magis convenit, ut ex insequenti versu manifestum est. Patet vero hoc instrumentum, de cujus nomine frustra disceptatur, haud alius generis esse quam id quod quibus partibus constitisset apud Lucilium verbosius esse enunciatum videtur. Ejus figuram et usum Emericus Cruceius his verbis describit: »Est e plumbo longitudine sesquipedali, crassitudine inaequali et ab imo sensim decrescente ad instar pyramidis. Una ejus extremitas latior et plana est, quae sebo vel adipe illinitur. Alia angustior et cuspidata foramen habet per quod funes longissimi trajiciuntur. His ergo funibus nautae plumbeum illud instrumentum demittunt in mare, ut altitudinem ipsius et fundum explorent. Id quod factitant ubi anchora fundare naves cupiunt. — Quodsi mare vadosum est, an illic tutum sit navem sistere, ita explorant. Demittunt plumbum illud funibus illigatum, quousque ad fundum pervenerit, cujus tactum facile sentiunt; caeterum extremitas plumbi quum plana sit ex vado quod attigit statim trahit aliquid quod sebo vel adipi adhaerescit. Si arena adhaeserit, non cunctantur anchoram jacere. Si nihil ex fundo extractum fuerit, colligunt illic subesse limum duntaxat aut rupes, quae anchorae morsum refugiant.«

33. *Rediit* Venet. Basil. In Nonii verbis et in primo Plauti exemplo *incitas* libri omnes, in ceteris non item: sed *incita* Venet. Merc. 2 idque metro exigi in versu *Lucilii*

Mercerius contendit et Dousa. Verum jam Michael Bentinus illud per elisionem s litterae defendit eamque veteres poetas etiam in longis syllabis sibi interdum permisisse observatum a Lingio est Quaest. Plaut. I. p. 49 not. et a Schneidero Gr. Lat. I. p. 349. Neque neutralis terminatio altero Lucilii loco obtinebitur, quem Nonius l. d. sic profert (ap. D. XVIII, 3):

> Villicum Aristocratem, mediastrinum atque bubulcum,
> Commanducatus corrupit, ad incitas adegit.

Hic non modo s sed etiam a elidi debet. v. Schneider. l. d. Accedit quod unam hanc formam *incitas* usu receptam fuisse aperte demonstrat Charisius I. p. 73, namque in iis quae unius tantum casus sunt, velut *affatim*, *inficias*, *suppetias*, illud quoque posuit.

34. *Vel omnia saevo* Venet. *vel omnia servo* Bas. Merc. 1. *vela omnia servo* Merc. 2. *Ancora* (sic libri omnes) tanquam metro incongruens H. Junius ejiciendum existimavit de hoc versu et substituendum in ejus locum *anquina:* hoc enim nomine Isidorus dicit XIX, 4 funem declarari, quo ad malum antenna constringatur, ut ap. Cinnam: *Atque anquina regit stabilem fortissima cursum.* Turnebus ne sic quidem contentus *angina* scriberetur praecepit, quia funis iste quasi angeret adstringeretque. Adv. 12, 16. Neutrum ex his verum esse puto, quanquam magis etiam displicent quae a Nonio proferuntur. Is enim ancoras esse vincla vult, quibus antennae teneantur. Sed quis est quin videat nec illi funi nec his vinclis in Lucilii verbis ullum locum esse remque de qua memoratur longe aliter se habere? Viderunt hoc Ulitius in Grat. Cyneg. 477, Gesner. Thes. v. angina et Weichert. de Helvio Cinna c. 3. p. 193. Non tamen pro lubitu, ut autumat Ulitius, Lucilius quantitatem vocum immutare solet (etsi, ut jam aliquoties vidimus, multam sibi licentiam non tam sumpsit quam concessam habuit), sed haud dubie graece exaraverat ἄγκυρα, qua ratione ipse fortasse mirae Nonii doctrinae primus auctor fuit. In eadem sententia Weichertus est. Ad alteram enim defendendi hujus vocabuli rationem, qua idem conjicit mediam ejus syllabam ob accentus vim productam esse, quum Lucilius graece in satiris suis tam multa extulerit, non licet confugere. De ipsis versibus talis fere Weicherti oratio est. Quam ad rem illi pertineant quum enucleare difficillimum sit, tamen arbitrari se prodi in eis de nautis, quibus ob imminens quoddam periculum sive quamcunque aliam causam propere solvenda fuerit navis et in altum subducenda a littore, cui alligata esset fune et ancoris firmata. Deinde de hujusmodi funibus et de usu ancorae alia multa accurate disputat Graecos scriptores secutus, quum testimonia non minus idonea apud Latinos passim sint obvia, ut ap. Virg. Aen. IV, 575—80. cf. Serv. et Gronov. Observ. IV, 26. Mihi vero tametsi confutare Weichertum argumentis non licet paullo secus de hoc loco sentiendum est. Pono enim navem Lucilii in alto versari ibique ad vim tempestatis arcendam vel ob aliam causam jactam esse ancoram: nunc quum repente majus quoddam periculum instat, nautae incidunt funem ancoralem atque navem ad continuandum iter solvunt expediuntque: ancora igitur quae jam fuit impedimenti loco in fundo maris relinquitur. Cf. Cic. Verr. II, 5, 34. Liv. XXII, 19. XXVIII, 26. *Ancora soluta*, in quo Casaubonus ad Cic. Att. I, 13 idiotismum nautarum cerni putavit, per ὑπαλλαγὴν dictum, ut ap. Liv. III, 8: *eo solutiore cura in Lucretium incidunt*, h. e. eo magis solutis cura animis. Quam ad eandem rationem Romani dicebant, quod Casaubono quoque in mentem venit, *oram solvere* pro eo quod est navem sive funes quibus navis alligata est littore solvere. v. Quinct. IV, 2, 41. Etenim ii, qui in hac locutione

oram intelligunt funem nauticum, neque documento veterum ullo neque certa ratione innixi videntur. Gronov. Obs. IV, 26. Drak. in Liv. XXII, 19. cf. Forc. Thes. v. ora.

35. *Freta Messanam Rhegina o. Moenia cum Liparas Facelinae templa Dianae* Pompon. Sab. in Aen. II, 116 (ed. Bas. 1561) qui subjungit: »vel extrito s pronunciavit vel ut alii volunt Facelitis, a facibus dicta.« *tum Liparam et Fasceliti' t. D.* Dousa. *tum Liparam et Facelitis t. D.* Muncker. in Anton. Lib. c. 27. *Liparam et Phacelinae.* Forc. thes. v. Fascelis et Schneidewin. de Diana Phacelitide p. 22, qui monet Liparam fere unam ex insulis illis Aeoliis nuncupari, rarius omnes Liparas vocatas. Sed non crediderim unam Liparam nominari ubi simul ceterae aut certe Hiera littori Siciliae propinquior aspici potuerit. Quod si tamen ita sit, iccirco *Liparam* scribi non erit necesse, siquidem nomen ejus insulae etiam pluraliter usurpatum est. v. Strab. VI, 2. Denique *tum Liparas, Facelinae et templa D.* Heynius in Donati vit. Virg. §. 85 memor fortasse versus Virgiliani, Aen. VI, 841: *Ultus avos Trojae, templa et temerata Minervae.* Nihil hac emendatione quod sit facilius aut accommodatius excogitari poterit. In verbis Probi Burmannus et Lion vulgarunt sic: *quam appellavit Fascelitim quod fasce lignorum* cett. verum in ed. Basil. a. 1561 et ap. Dousam ante *quod* invenio *sive* intersertum, unde valde suspicor a Probo alteram nominis formam, qua ipso teste usus Lucilius est, priori additam fuisse, sed a librariis omissam, quibus praeterea ut scriberent *Fascelitim* induxerit vicina Probi explicatio, non intelligentibus illis nomen non a Latino quod est *fascis* duci sed a Graeco φάκελος. Namque tam genuinam prae se fert Probi narratio speciem, ut eam a Graeco aliquo scriptore eoque idoneo esse acceptam existimem. Cautius quidem Munckerus in hanc sententiam disputat, ut ab Oreste neget Dianam potuisse *Fascelitin* sive *Fascelitidem* vocari: at ipsi hoc Probo statuo perspectum fuisse, quia licet idem ille error in Servii commentarios (v. ad. Aen. II, 116 et prol. in Buc.) permanaverit, ex libris mss. hae sunt apud Burmannum discrepantiae consignatae: *faceris, facelis, facilis, Facelidis.* Quodsi ergo Diana sive Facelis sive Facelina appellata est de Graeco vocabulo, hoc cognomen per ph scribi oportere in aperto est. Cf. Cluver. Sic. ant. II, 5. Schneidewin. p. 23.

36. *Scintillae; in stricturis quod* Dousa, qui Nonio fidem tribuebat, cujus sapientia iterum atque iterum explodenda est. Hic enim: »Stricturae, inquit, dicuntur proprie scintillae quae de ferro ferventi eunt (sic etiam Ven. *exeunt* Bas. Merc. 1), quod aut stricte emittantur i. e. celeriter aut oculos sui fulgore perstringant. Virgil. VIII (v. 421). Lucil. III —« Idem p. 523: »Stricturae dictae sunt quae de ferro candenti micant, cum massa malleis cuditur, unde et incus est appellata: dictae autem quod aut strictius emittantur aut quod oculos fulgore perstringant. Virgil. VIII (v. eod.)« His adversatur non solum Servius cujus ad Virg. l. d. haec est annotatio: *Strictura est terra ferri in massam coacta:* sed etiam Varro obloquitur, ap. eund. in Aen. X, 174: »nasci quidem illic (apud Ilvam) ferrum sed in stricturam non posse cogi nisi transvectum in Populoniam Tusciae civitatem, ipsi insulae vicinam.« Eadem Strabo V, 2 reddidit sic: οὐ δύναται (ὁ σίδηρος) συλλιπαίνεσθαι καμινευόμενος ἐν τῇ νήσῳ. Unde Glossa Philox.: *Stricturae metallum* λελιπαμμένον. Neque alio intellectu hoc verbum est apud Plinium N. H. XXXIV, 14, 41. Ergo rectissime Oudendorp. in Caes. b. g. III, 21 stricturam definit esse ferrum vel aes jam decoctum in fornacibus et in massam quandam coactum. Quod confirmatur versibus

Lucilii, Virgilii, Rutilii (Itin. I, 358). Et primus quidem versus quamvis solitarius et tanquam sibi superstes ipse loquitur: Virgilius autem non solum eo quod stricturas stridere dixit vocis sententiam planam fecit, sed maxime decrevit eam (licet haud dubia sit) vv. 450 et 53. In Rutilii denique locum Nonii enodationem nullo modo cadere ipse Wernsdorfius vidit, qui deceptus ab illo stricturam dici officinam ferrariam putabat. Per est mirum credidisse Nonio et Vossium Etymol. et Gesnerum Thes. et Forcell. Lex., unum Pareum Lex. Crit. p. 1185 esse diffisum. Stat quidem ab illo auctor glossae supra allatae, cujus altera pars est: ἢ τὸ ἀπὸ τοῦ σιδήρου πίπτον, ὥσπερ σπινθῆρες: sed haec jam, ut par est, numeranda nullo loco.

37. Dousa vitiosum ratus est accusativum hunc *fabricam*, sed v. quae Ob. Gifanius in Lucret. Collect. v. in et Vechner. Hellen. p. 259 ed. Heus. acervarunt. Nec magis accurate tradit Isidorus marculum esse malleum pusillum: ad vocabuli formam satis recte, sed non usquequaque convenienter cum usu sermonis Latini. Nentiquam enim licet parvum malleum intelligi apud Plinium VII, 56, 57: *Tegulas invenit Cinyra, item forcipem, marculum, vectem, incudem*, nec apud Martialem XII, 57, 6:

> negant vitam
> Ludimagistri mane, nocte pistores,
> Aerariorum marculi die toto.

In altero versu J. Dousa requisivit: Κυκλώπων vel *Vulcanorum*. Quorum illud probabilius: quippe *fabricam ferream invenere Cyclopes*, et commendatur insuper eo quod Graeca praeterire vulgare librariorum vitium fuit. At propius, nisi quid me fallit, ad veritatem accedit conjectura Scaligeri: *tuditantium*. Qua similior exsistit imitatio Lucilii Junioris v. 556. Recepit eam Dousa nec sprevissem ego, nisi a metro haberet aliquid offensionis. V. tamen de simili licentia ipsius Lucilii disserentem Schneiderum Gr. Lat. I. p. 156.

38. *S. et str. ubi atque erunt, dum sibilus institis* Bas. Merc. 1. Dousa. *ubi aqua* in Var. Lecct. Merc. 1. Emendatum hunc versum dedit Lipsius Epist. quaest. III, 15. ubi addit: „vel *sibilus insit*, versu heroico: cum saxa quiessent, sibilus exoritur.“ Priorem hanc emendationis partem *ubi acquierunt* confirmatam habemus in Merc. 2, quare etiam de alterius veritate non dubitem: in qua *instat* ut monstro isti similius praetuli. Conferre tamen juvabit Virg. Aen. VI, 102: *Ut primum cessit furor et rabida ora quierunt, incipit Aeneas*. Suspicabatur Lipsius verba Lucilii de populi theatrali tumultu aut seditione forensi capienda esse. Cui opinioni obstat, quod saxa et stridorem sibilus esse secutus perhibetur: quem ordinem et rei ipsi contrarium duco neque ullo veterum loco, in quo de lapidatione theatrali mentio fit, effici video. Cf. F. B. Ferrar. de Vet. Acclamm. et Plausu II, 24. III, 24. Intpp. Petron. c. 90.

39. *Lacernis* Putsch. Hoc versu iis quae Lipsius Elect. I, 3 exposuit novum et luculentum accedit testimonium.

40. Dousa haec posuit in libro quarto, quem numerum in una Venet. reperio.

41. Ex his duobus versibus priore loco a Nonio secundus tantum affertur: ibi enim explicat quid valeat in eo *exspirare*. Itaque altero loco ubi ambo versus propositi sunt minus recte in libris scriptum est *exhalans*. Etiam *depositus* omnes exhibent praeter Merc. 2. quod correxerat jam Dousa. — Quae his verbis sententia subsit non ita perspicuum est. Sic autem existimo: *depositus* quia sit desperatus sive conclamatus i. e. morti propinquus (Virg. Aen. XII, 395) et *exspirare* absolute positum saepe idem significet ac mori (quamvis etiam *animam exspirare* dicantur moribundi, v. Virg. Aen. XI, 883. Ovid. Met. V, 106. XV, 527), *animam* pertinere ad id quod est *agebat*. Etenim is agit animam qui in exitu vitae crebro spiritum ducit et reducit. v. Manut. in Cic. Fam. VIII, 13. Cf. Cic. Tusc. I, 9. Relinquitur igitur *pulmonibus aeger*, quae verba jam ad cetera bene conveniunt. Minus quadrare videtur altera haec ratio, ut *animam* ad *exspirans* referamus idque defendamus loco Homeri, Il. χ, 467: ἤριπε δ' ἐξοπίσω, ἀπὸ δὲ ψυχὴν ἐκάπυσσεν. cf. Passow. Lex. Gr. v. καπύω. Ita interpretanti dicere liceret *agere* esse absolute positum, ut in Tacit. Annal. III, 38: *Thracia diviso imperio — insolentia nostri discors agebat.* cf. Boett. Lex. Tac. p. 51. Tertiam denique explicandi viam monstrabit Meliboeus Virgilii his verbis: *En ipse capellas protenus aeger ago.* Sed cave ei credas.

42. Sic Venet. et Dousa ex ant. cod. Sed *exhalas tum acidos ex pectore ructus* Bas. Merc. 1. 2. *et halans acidos tum demum pectore ructus* alii ap. Mich. Bentin. Castigg. unde Dousa suspicatus est: *Exhalas acidos tum demum pectore ructus.* Attamen quis sibi persuaserit Lucilium dixisse *acidos* ructus exhalari ex *pectore*? Exhalare h. l. nihil aliud nisi spiritu emittere.

11. [illegible]

[illegible] Cf. Cic. Tusc. I, 2. [illegible]

[illegible]

12. Sic Venet. et [illegible] codd. [illegible]

[illegible]



# Nachrichten über das Schuljahr von Michaelis $18\frac{35}{36}$.

Unsre Anstalt hat auch in dem abgewichenen Schuljahre sich einer ungestörten Wirksamkeit zu erfreuen gehabt, sowie eines Erfolges derselben, der überall, wo tüchtige und es treu meinende Lehrer ihr Geschäft treiben, nicht auszubleiben pflegt, und den unser Publikum durch ungeschwächtes Vertrauen anerkennt. Bedürfnissen, die bisher unbefriedigt geblieben, steht allmählig die erwünschte Abhülfe bevor. So ist durch geneigte Entscheidungen des Königl. Unterrichts-Ministerium die Bibliothek-Angelegenheit auf dem Wege zu ihrer Erledigung merklich gefördert worden, indem die vorläufige Aufnahme des Bücherbestandes beinahe hat vollendet werden können. Auch wird, was wir immer noch für den Gesangunterricht vermißten, mit der Zeit sich beschaffen lassen und zwar aus selbsteröffneter Hülfsquelle, da wir eben nicht hoffen durften, andere Mittel dazu verwandt zu sehn. Unser geschätzte Amtsgenosse nämlich, Herr Musik-Dir. D. Löwe, hat theils für andre musicalische Zwecke, theils für die Anschaffung eines Flügelfortepiano's, dessen wir bey der Leitung des mehrstimmigen Gesanges ungern entbehrten, den Ertrag einer bey Gelegenheit musicalischer Vespern von ihm veranstalteten Sammlung mir übermacht, und es sind zum Behufe des Ankaufes eines solchen Instrumentes bereits 25 Rthlr. 5 Sgr. einstweilen in der hiesigen Sparkasse von mir niedergelegt worden.

Von der auch öffentlich mehrmals besprochenen plastischen Ausschmückung unsers Hörsaales, bey welcher wir keinesweges eine bloß äußere Zierde, sondern die Erreichung eines nicht unwichtigen Zweckes aller Gymnasialbildung im Auge hatten, werden wir für jetzt absehn müssen. Denn das hiesige K. Consistorium benachrichtigt mich unter dem 7ten May c., daß die bey der Aufstellung der Hopfgartenschen Bronzebüste unsers großen Kurfürsten auf dem Schloßplatze hierselbst erübrigten und dem Gymnasium überwiesenen 141 Rthlr. 11 Sgr. durch einen Königlichen Cabinetsbefehl schon vom 20sten August v. J. zur Verwendung für eine Büste Sr. Majestät des Königs bestimmt seyen.

Des Lorinserschen Angriffes auf das bestehende Gymnasialwesen des Preußischen und Deutschen Vaterlandes, der in seiner ungemessenen Allgemeinheit auch gegen unsre Anstalt gerichtet scheinen muß, wird hier um so weniger ausführlich Erwähnung geschehn dürfen, als auch unsre amtlichen Berichte darüber seit längerer Zeit der verehrten obersten Sachbehörde vorliegen, und jetzt außerdem eine ganze Litteratur von Flugschriften, in denen die einzelnen Anklagepunkte von mancherley

Seiten des Breiteren erörtert und beleuchtet werden, durch denselben hervorgerufen ist. Der Medicinalrath D. Lorinser geht bey seiner Anklage von einem materialistischen Standpunkte aus, läßt sich mancherley auffallende Paralogismen, insonderheit einen Schluß von vielleicht thatsächlichen Einzelnheiten auf eine ausgedehnte Gesammtheit zu Schulden kommen, verräth große Unkenntniß des Wesens der Sache, deren vermeintlichen Uebelständen er mit einer allerdings heroischen Curart abzuhelfen sich berufen fühlt, irrt nicht bloß in der Angabe von sogenannten geschichtlichen Thatsachen, die er seinen Behauptungen wie seinem Heilverfahren zur Begründung unterzulegen versucht, sondern geht in seiner ungeschichtlichen Ansicht von dem dermaligen Zustande unsrer gelehrten Schulen und in seinem Verkennen dessen, was der Staat mit Einsicht in ihr Verhältniß zur Wissenschaft und zum Leben und mit danach sich bestimmender wohlerwogener und sorgsamer Pflege jetzt und früher für sie gethan hat, so weit, daß er sie ohne Scheu ungefähr als ein Product willkürlichen Experimentirens bezeichnet. Es liegt auf der Hand, daß von einem solchen Verfahren kein sonderliches Heil für die Sache der Schule zu erwarten sey.

Die näheren hier mitzutheilenden Nachrichten folgen in der vorschriftsmäßigen Ordnung.

# A.
# Lehrverfassung.

## I. Prima.

### Ordinarius Director und Professor D. Hasselbach.

#### 1. Sprachunterricht.

Lateinisch. Director Hasselbach: Tacitus Germ. c. 19 bis zu Ende und Agricola bis c. 30. Erklärung lateinisch. 2 Stunden wöchentlich. Horatius Oden B. 3 und 4 und Epoden mit Auswahl, carm. saec. u. Sat. 1, 1. 2 St. w. — Prof. D. Schmidt: Cicero's Verrin. Reden Act. 2 lib. 3, 81 bis zu Ende des B., wobei Uebungen im lateinischen Sprechen. 2 St. w. Uebungen im schriftlichen Gebrauche der lat. Sprache und Correctur der häuslichen Ausarbeitungen. 2 St. w.

Griechisch. Dir. Hasselbach: Demosthenes pr. Cor. 54—155 Wunderl. 2 St. w. Sophokles Philoktetes von v. 505 Herm. bis zu Ende, Homer's Ilias B. 7 cursorisch und Sophokles Ajax 1—475 Herm. Erklärung lat. 2 St. w. — Prof. D. Schmidt: Uebungen in der Grammatik und im schriftlichen Gebrauche der griech. Sprache. 2 St. w.

Deutsch. Dir. Hasselbach: Aufsätze, Uebungen im mündlichen Vortrage und Litteraturgeschichte. 2 St. w.

Hebräisch. Prof. Jantzen: ausgewählte Psalmen und Stellen aus Hiob, nebst schriftlichen Uebungen. 2 St. w.

Französisch. Arithmeticus und Lector Milleville: die fünf letzten Gesänge von Voltaire's Henriade und les Frères ennemis von Racine. 1 St. w. Uebungen im mündlichen und schriftlichen Ausdruck nebst Extemporalien. 1 St. w.

Englisch. Lector Anderson: Shakspeare's King Lear, Act. 2—5 und King Richard III, Act. 1. 2. 3. Ins Englische schriftlich übersetzt 1. Act und 1. Scene des 2. Acts von Schiller's „Räubern.“ Im letzten Vierteljahr 1 St. w. Extemporalien. 2 St. w.

### 2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. Consistorial-Rath D. Schmidt: Einleitung in die biblischen Schriften und die christliche Kirchengeschichte bis zur Reformation. 2 St. w.

Mathematik. Prof. Graßmann: im ersten Halbjahr sphärische Trigonometrie, im zweiten geometrische Analysis und Aufgaben dazu. 4 St. w.

Physik. Derselbe: die optischen Wissenschaften mit Einschluß der Farbenlehre. 2 St. w.

Geschichte. Prof. Giesebrecht: neuere Geschichte. 2 St. w.

Naturwissenschaft. Medicinal-Rath D. Rhades: im Winter Anthropologie, im Sommer Zoologie. 2 St. w.

Metrik. Dir. Hasselbach: Theorie nach Hermann und practische Uebungen im lat. und griech. Versbau. 1 St. w.

Propädeutik. Derselbe: formale Logik und ein Theil der empirischen Psychologie. 1 St. w.

Hodegetik. Derselbe: gegen das Ende jedes Halbjahres einige Stunden für die Abiturienten.

### 3. Unterricht in Kunstfertigkeiten.

